Klempin.

De criteriis ad scripta histor. Islandorum examinanda

Pars I.

DE

CRITERIIS

AD SCRIPTA HISTORICA ISLANDORUM EXAMINANDA.

PARS PRIOR.

DISSERTATIO

INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA UNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GUILELMA

BEROLINENSI

PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

DIE XXVI. M. MARTII A. MDCCCXLV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS ROBERTUS KLEMPIN

POMERANUS.

ADVERSARII ERUNT:

R. VETTIN, med. et chir. Dr.
TH. FISCHER, pr. Schol. Cand.
J. E. GROSSE, phil. Cand.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

VIRO

ILLUSTRISSIMO

L. RANKE,

HOCCE

OPUSCULUM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Historia septentrionalis antiqua, quae tribus seculis mirum quantum late fuseque lingua vernacula ab Islandis conscribebatur, tum ex interpretatione carminum quorundam, res gestas memoratu dignas breviter perstringentium, tum e sermone illorum, qui, plerumque et ipsi poëtae, fraeðimenn aut sagnamenn appellati in curiis regum septentrionalium, vel apud coetus hominum frequentissimos, imo vero in concione forensi dicta et facta heroum proavorum, quidquidque evenerat et prioribus et suis temporibus, enarrare solebant, paullatim succrevit atque per manus tradendo ita exculta est, ut postea minus a scriptoribus composita, quam potius plane jam absoluta atque perfecta literis esse mandata videatur. Sed haec origo quamquam scriptis Islandorum universis speciem attulit ornatus poëtici quandam, orationisque simplicis quidem, suavis tamen ac lepidae, — nam annalibus fastisque, qui illo tempore apud alias gentes exstiterunt, plane dissimiles Islandici scriptores non jejunas res et aridas, sed copiose uberrimeque crebris cantilenis intertextis memoriae exponunt antiquitus prodita, singulaque nonnunquam more sane poëtico exsequuntur, — eam ipsam ob causam oportet leviores nec satis fidi existimentur. Qui enim non fieret, quin isti sagnamenn, ut ita dicam, fabulatores, quorum sermones illi

perscripserunt, ad oblectationem auditorum auribus praebendam fama acceptum in majus extollerent, non integre compertum e sua mente explerent, atque adeo veritate omissa, prout liberet, prorsus ficta et commenta referrent? Quod quum non modo ad fabulas pertineat insulsas, quibus major fere pars literarum Islandorum conferta est, sed multo latius pateat, nec minus eas quoque narrationes, quae maxime historiae speciem prae se ferunt, in suspicionem aliquid adducat commentitii, scripta sunt illa, priusquam iis quasi testibus et auctoribus uteris, exactissimo judicio examinanda.

Omnino quidem relatui Islandorum, seculis XII et XIII, quibus plurimum inter ipsos historiae studia vigebant, literis consignato, major fides et auctoritas recte tribuitur, perinde cunctis rebus, quae ab illis temporibus propius absunt, aut plane iisdem gestae a testibus oculatis docentur. Itidem certius esse censent, quod Islandi de sua insula tradant, quam de rebus Norvegicis, quo multo etiam minorem ea fidem habeant, quae in Dania aut Svecia facta esse velint. Sed huic ne temere assentias, videndum est. Quum enim in scriptis Islandorum examinandis adhuc solummodo exterarum gentium scriptores, ut Danorum, Germanorum et Anglosaxonum, adhiberentur, qui profecto quidem de Dania multum, etiam de Svecia aliquantum, sed de Norvegia minus et de Islandia nihil omnino compertum explicant, facile intelligis, quid Islandi de Danorum et Svecicorum rebus fabulentur, paene ubique, quid de Norvegiensium, vix aliquid, quid de suis ipsis, nullo modo illis auctoribus comparatis perspici posse. Itaque alia etiam criteria petenda sunt, de quibus potissimum instituere quaestionem, exterorum scriptoribus perquam breviter perstrictis, hoc loco nobis propositum est.

I.

DE CRITERIIS E SCRIPTORIBUS ALIARUM NATIONUM SUMENDIS.

Ut scriptoris alicujus fides et aliis auctoribus, quos jam satis fidos novimus, comparatis, et ipsum librum perlustrando cognoscitur, studio ingenioque illius et scientia ac narrandi diligentia perpensis; ita historiae quoque per Islandos pertextae tum aliis cum scriptoribus consensus, siquidem illi omnium rerum notitia instructi eadem tradunt minimeque discrepant, tum indicia ex ipsius natura ac tanquam indole eruenda afferunt fidem. Primum est igitur de aliis auctoribus disserendum, qui praeter Islandos veterum borealium res attingunt, post, quae Islandi sibimet ipsi perhibeant, testimonia veritatis persequemur.

§. 2.

Hic vero primo loco monumenta recensebimus, quae ipsas inter gentes septentrionales perantiquo tempore exstiterunt. Sed de tribus Scandinaviae partibus sola Dania priscas literas potest memoratu dignas proferre, quia Svecia ejusmodi nihil omnino habet, ac Norvegia unum quidem scriptorem eundemque haud contemnendum sibi vindicans, Islandis tamen testibus illius et quasi magistris nequit commparare.

Theodoricus enim Monachus Nidrosiensis, quem nostrates de vita ipsius inquirentes (1) statuunt exeunte XII seculo, accuratiusque computantes (2) ante annum 1184 scri-

(1) Dahlmann, Forschungen auf dem Gebiete der Geschichte. Bd. I. p. 366. — Archiv für Staats- und Kirchengeschichte der Herzogthümer Schleswig, Holstein, Lauenburg, u. s. w. redigirt von Michelsen und Asmussen. Bd. I.

(2) Giesebrecht. Wendische Geschichten, Bd. III, p. 359.

psisse librum suum de antiquitate regum Norvegiensium, omnem fere rerum notitiam gestarum ab Islandis traxit, seu ut ipse ait: „Islendingis, quos constat sine ulla dubitatione prae omnibus aquilonaribus populis in hujusmodi rebus semper et peritiores et curiosiores exstitisse (1).“ Horum vestigia sive ex scriptis lecta, sive, quod verosimilius, e sermone cognita tam arcte secutus est, ut non alius et differens, sed idem ipse Islandus vocari mereatur.

§. 3.

Contra Dani duos scriptores producunt, aequales et consuetudine usuque familiari inter se conjunctissimos, qui uterque in eodem Selandiae monasterio commorati pari studio, sed impari scientia ac viribus historiam scribere Danorum aggressi sunt. Maximam vitae partem XII seculo degebant, scripta vero fortasse demum initio insequentis perfecerunt, ita tamen, ut aliquot annis ante summum literarum Islandorum florem vigerent, quibus alter pari copia fabularum carminumque ac pleniori narratione certe comparandus, doctrina et eruditione longe praecedit.

Nam Saxo Lange, gente haud ignota oriundus propter orationem suam latinam et copia verborum et dictione perquam volubili atque expedita, nec minus elegantia quadam insignem prae aliis medii recentiorisque aevi scriptoribus Grammatici cognomine honoratur. Profecto sane tanta erat scientia et exercitatione, ut carmina quoque vetusta narrationi suae intertexta in versus latinos transferret variis numeris ac satis elegantes.

Alter vero, Saxonis contubernalis atque aemulus. Sveno

(1) Theodoricus Monachus, de regibus vetustis Norv. Prolog. c. 1. ap. Langeb. Scriptor. rer. Danis. P. V. p. 312.

Agonis, multo minoris ingenii, et exili stilo et brevi adumbratione historiam Danicam conscripsit. Utriusque autem libri hic permagni sunt momenti, propterea quod Islandis aut plane ignotis aut de industria neglectis ea tantum literis mandaverunt, quae ab ipsis suis majoribus acceperant. Quocirca tale quoddam interest discrimen inter hos et Islandorum scriptores, ut vetustissimas septentrionalium res narraverint, seu deorum heroumque fabulas, seu clarioris jam atque paullum cognitioris aevi historiam, quales a populo Danorum usque ad istud tempus retentae erant memoria; contra Islandi earundem fere narrationum habuerint notitiam atque exponant, qualem e patria sua Norvegia, unde sub finem IX seculi in Islandiam demigraverant, aut ipso jam initio adduxerant sermoneque traditam complures per aetates servaverant, aut posterius comperant, quum novi advenae, mercatura, itinera huc et illuc ad varias causas suscepta, multaeque aliae res continuum et perenne commercium summamque, ut ita dicam, necessitudinem inter utrasque terras sustentarent, nec non Islandis discendi valde cupidis ac cognitionis et scientiae amore praeditis opportunam diligenter illud sciscitandi praeberent occasionem. Quam late hoc discrimen praesertim in vetustioribus rebus pateat, aut quid utriusque sit praestabilius, quid cultum victumque magis antiquo more effingat, hoc loco nobis non ita est dicendum, potius modo de iis tractandum, quae arctissime ad propositum attinent. Quis autem non intelligit, quantam auctoritatem Islandi consensu cum Danorum scriptoribus sibi adsciscant? Quamvis enim Haraldo Gormonis filio regnante, sub quo Jomsvicenses incipiebant vigere, Danicae res adhuc dubia quadam luce appareant, nec fabulis, quae universam prioris aevi memoriam afficti et commentitii tanquam caligine

confuderunt, nondum plane remotis certae et satis fidae historiae gravitatem consecutae sint, id tamen constat, quod utrique scriptores alteri altero ex fonte haustum eodem modo tradant, id duplicem quandam afferens confirmationem aut esse prorsus vera, aut veritati propius accedere.

Hujusmodi est ex. gr. de Svenone Danorum rege capto narratiuncula. Hunc classe parata Selandiae dicunt Islandi (1) solenne convivium celebrasse, quum Jomsvicensium dux Sigvaldius tribus navibus haud ita longe ab eo loco, quo rex commoraretur, amicissimi specie ad terram applicans morbo simulato Svenonem juberet ad se invitari. Navium vero hanc ordinem illum servasse, ut inter se conjunctae et ad solvendum paratae nullam aliam adeundi facultatem praeberent, nisi prima per pontem ascensa. Postquam igitur rex, ut morbo afflictatum viseret, triginta sociis stipatus primum myoparonem ascendisset, ponte sublicio, qui terram navemque committeret, jussu Sigvaldii avulso comprehensos esse socios regis denos in quaque navi, confestim ab aliis disjuncta, ipsumque Svenonem, ut primum ad illum, in ultima navium se aegrotare simulantem, commiserendi causa accessisset. Tum Sigvaldium naves suas omnibus remis adhibitis in altum subvexisse, atque ceteris regis sociis nec opinata re factoque novo et inaudito attonicis neque classe ad insequendum parata nihil impeditum veloci cursu ad Jomsborgum appulisse in Vindlandia situm.

Hanc rationem, qua Sveno rex medio e suo exercitu quasi furto subduceretur, fabellam putares, more usitato ab

---

(1) Saga Ólafs Konúngs Tryggvasonar, ritud af Oddi Múnk. c. 30. Fornmanna Sógur X p. 285.

Islandis commentam, nisi Danorum scriptores mutato ducis nomine istius callidi idem fere a majoribus traditum referrent (1). Sed de his hactenus.

§. 4.

Inter exteras nationes praecipue sunt Germani et Angli, quorum scripta septentrionis maximeque Daniae rerum faciunt mentionem.

Britanniam enim insulam ducentis annis amplius Nordmanni atque ex his non paucissimi Dani bello prope assiduo repetitisque navium incursibus infestabant ac postremo totam sibi subjecerunt, ut per Svenonem illum a Sigvaldio, ut fertur, captum et post ejus mortem brevi tempore interjecto iterum per Canutum magnum ejusque filium quasi Danica provincia regeretur. Quam ob causam scriptoribus Britannicis sive Anglicis, domesticas res pertractantibus, ratio certe erat Danorum ducenda, et hostium sibi infestissimorum, quibuscum cives sui tot tantaque bella terra marique gesserant, et dominorum, quorum imperium prorsus afflicta respublica per aliquot tempus nequibat detrectare. Ex his vero ad Jomsvicensium historiam Emmae encomiaste, qui nomine incertus ad laudem Canuti uxoris libellum composuit, nemo sane est majoris momenti, propterea quod laudatae aequalis et fortasse familiaritate quadam conjunctus ullo sine dubio conjugis ejus prosapiam optime novit. Quo igitur auctore ista ab Islandis vulgata opinio (2) refellitur, qua ab Haraldo Caerulidenti credunt Svenonem filium e pellice sublatum esse. Sed

(1) Saxonis Grammatici historia Danica, ed. P. E. Mueller. I. p. 492. — Svenonis Agonis filii historia regum Danicorum: Langebeck Scriptores rer. Danic. P. I. p. 51.

(2) Jómsvíkinga saga c. 18, ed. Fornmanna Sögur XI.

de hac re jam alter scriptor isque celeberrimus tractavit (1).

§. 5.

Praeter Britannicos imprimis sunt aliquot Germanici scriptores summopere aestimandi. Nam Germania jam Caroli magni aetate Danorum hostiles incursiones passa fuerat, maximas ac perniciosissimas successoribus imbecillioris ingenii regnantibus, usque adeo donec imperatores e gente Saxonica oriundi hostem represserunt non modo, sed etiam agro aliqua ex parte ademto, reliquo ad tempus tributarium facto, plane imperio subjectum fidem coëgerunt christianam amplecti, cujus docendae causa interim complures monachi, praecipue Corbejenses, divino quodam amore instincti, ad populum illum barbarum, more paganico adhuc imbutum, saepius adierant. Itaque annales fastique Germanici, nec minus nonnullae Sanctorum vitae, ut maxime Anscharii per Rimbertum composita, Danorum creberrime mentionem inferunt, sed inter omnes fusius et longe accuratissime Adamus Bremensis. Qui Heinrico quarto imperante Bremae scholastici seu magistri scholarum munere functus Ecclesiae Hammaburgensis res perscripsit, vir haud exiguae indolis et pro illo tempore sane excellentis doctrinae. Ab aetate Haraldi Caerulidentis nondum seculo abfuit, quapropter de illo, quem Jomsvicensium historia aliquantum attingit, multo magis etiam de posteris Danorum regibus verius ac fide dignius quam recentiores scriptores potuit referre, praecipue ex ore Svenonis Astrithae filii edoctus, regis istius sibi amicissimi, cujus avunculus Canutus magnus, avus maternus Sveno Furcobarbatus et proavus ille Haraldus Caerulidens fuerant. Est igitur summae auctoritatis

(1) Dahlmann, Geschichte von Dännemark.

et ad Islandos examinandos aptissimus. Quidquid enim apud eos cum Adamo haud omnino consentit, id dubium esse ac fere commentum putes.

Inter alios scriptores Germanicos hic solum Tiëtmarum recensemus, episcopum Merseburgensem, Adamo aliquantum aetate priorem, sed paucis de Danorum rebus allatis hic longe minoris momenti. Profert tamen nonnulla, quae ad nostram quaestionem pertinent, auctor satis fidus summeque veritatis studiosus, qui illustrissimo loco natus nec non in forensibus negotiis occupatus, ut omnem aetatis suae historiam, ita aequalis quoque Svenonis Furcobarbati vitam optime potuit et novisse et exponere.

Praeterea incertus quidam auctor commemorandus est, cujus opera veterum scholarum ad Adamum Bremensem maxima ferme pars conscribebatur. Ex his, quae adhuc restant, sane multae ex ipso Adami contextu aut excerptae aut loco transmutatae prodierunt, ut illustrissimus quidam vir (1), summo ingenii acumine praeditus, accurate exposuit, sed longe plures sunt alterius auctoris, qui vel alias partes sectari videtur. Quod hac ratione haud difficile est intellectu. Nam Svenonem, Astrithae filium, dicunt Islandi (2) ad Magnum regem Norvegiae, qui pacto inito post Hardicanuti mortem Daniae quoque imperium consecutus esset, accessisse praestitoque homagio Daniae fuisse praefectum, postea vero jurejurando non servato et summa imperii appetita bellum assiduum cum domino

(1) Ludewig Giesebrecht: Ueber die Nordlandskunde des Adam von Bremen, in den historischen und litterarischen Abhandlungen der Kgl. Deutschen Gesellschaft zu Königsberg. III. Sammlung, 1834.

(2) Heimskringla, Sagan af Magnusi Goda, c. 24.

suo gessisse. Sed de illo homagio Danici scriptores, Saxo et Sveno Agonis filius, nihil omnino tradunt, potius Canuti ex sorore nepotem, ut regnum hereditate sibi relictum occuparet, inde ab initio ferunt bellum suscepisse. Quod certe a veritate aliquid abhorrere commutatumque esse apparet per quosdam viros, patriae studiis nimis inservientes, sive per ipsos scriptores, ut in gratiam Waldemari regis de industria reticerent proavi ejus dedecus, sive per alios, qui, ut constat Absalonem, episcopum illum celeberrimum et Waldemari domi militiaeque socium amicissimum, Saxonis testem fuisse gravissimi ponderis, sermone illis majorum memoriam prodiderant. Plane idem narrat Adamus quoque Bremensis Svenone ipso auctore. Quid mirum? Quid enim est, cur ille rex se ipse perjurum demonstraverit? Contra scholiastes Adami Norvegienses partes fovens istum homagium praestitisse neque retinuisse opprobrat regi (1). Aeque alia complura de rebus septentrionalibus haud contemnenda affert ac videtur bene in iis versatus fuisse. Si vero aetatem ejus requiris, Adamo non ita multo minorem esse natum invenies, quia jam in codice initio XII seculi conscripto scholiae fere omnes exstant (2).

§. 6.

Quanti autem momenti sint recensiti auctores, ut iis

---

(1) Schol. 49. Svein a Magno victus cessit fortunae et factus est homo victoris, faciens ei sacramentum fidelitatis. Sed quum denuo rebellare coepisset, consilio Danorum nihilominus a Magno superatus est. Itaque fugiens Svein ad Jacobum venit, apprime dolens pro fide pollicita, quam violavit.

(2) Archiv der Gesellschaft für ältere Deutsche Geschichts-Kunde. Bd. VII. p. 448.

collatis Islandorum conficta quaedam falsaque inventa perspiciamus, uno satis explanabitur specimine.

Historicis in Daniae antiquitatibus versatis semper multum attulit difficultatis, quomodo relationes de Svenonis Furcobarbati nuptiis inter se pugnantes conjungerentur. Nam Islandis monentibus (1) ille a Sigvaldio captus et Jomsborgum ad Burisleifem Vindlandiae regem adductus tributo, quod Burisleifr Daniae debuit solvere, remisso filiaque ejus Gunnhilda matrimonio conjuncta libertatem recuperavit, ex qua duos filios Canutum Haraldumque sustulit. Qua mortua Erici Sveciae regis viduam duxit Sveno uxorem, Sigridam, Storrade (superba) cognomine, quae Sköglar Tostii, ut dicunt, filia ex Erico Olavum Skautkonúng (sinus rex, quasi pusillus) jam enixa erat. Attamen longe aliter rem prodiderunt Germanici scriptores. Tietmaro enim teste Poloniae regis Boleslavi sororem Sveno assumserat uxorem, quam brevi post geminum partum repudiatam matrimonioque exturbatam (2) tunc demum, quum Sveno morte occubuerat, filii sui e Polonia in patriam reduxerunt, ut Emmae encomiastes Tietmari addit narrationi (3). Profecto quidem ab iis Adamus Bremen-

---

(1) Saga Ólafs Tryggvasonar, af Oddi múnk. c. 30 et 44.

(2) Dittmar von Merseb. ed. Wagener. Nürnberg. 1807. p. 223. De geminis viperarum, id est filiis Svenni persecutoris pauca edissero. Hos peperit ei Misceconis filia ducis, soror Bolizlavi, successoris ejus et nati, quae a viro suimet depulsa non minimam cum caeteris perpessa est controversiam.

(3) Encomium Emmae Reginae ap. Langeb. script. rer. Dan. II. p. 479. Pariter vero Slavoniam adierunt (Knutus et Haraldus) et matrem suam, quae illic morabatur, reduxerunt.

sis dissidere videtur, quoniam Svenonem refert (1), ab Erico regno exutum, ejus viduam duxisse, ut a privigno Olavo in Daniae imperium restitueretur; sed hanc discrepantiam tollit Adami scholiastes, quo auctore Boleslavus Sveciae regi foedere inito sororem collocaverat (2), quam eandem esse et conjuge mortuo cum Svenone nuptam, ut Adamus vult, et abactam perque filios reductam, ut Tietmarus Emmaeque encomiastes probe sciunt, facile conjectura sequaris. Recte igitur illustrissimus Dahlmann, Islandos flocci pendens, Germanicis scriptoribus consentit. Contra L. Giesebrecht nuper, Adami scholiastem temere omittens (3), Langebeekii exemplum secutus (4) Islandos et Germanos pacto illis honestiore quasi ad concordiam adducere tentavit, eo modo, ut Gunnhildam Burisleifi filiam in Boleslavi sororem commutaret, quae ante maritum obiisse prave quidem ab Islandis tradita esset. Hac potius tanquam exule apud fratrem degente Svenonem more ethnico alteram uxorem, dictam Sigridam, nuptiis sibi adjunxisse. Sed ea ratione Olavus, ex Sigrida et Erico natus, cum Canuto, quem Sveno ex Gunnhilda genuit, nullum parentem haberet communem, cui obstat Adamus, Olavum Canuti

(1) Adam. Brem. ed. Mader. II, c. 21 seq. .... restituitque eum Olaph in regnum suum, eo quod matrem suam habuerit uxorem.

(2) Schol. 22. Hericus rex Sveonum cum potentissimo rege Polonorum Bolizlao foedus iniit. Bolizlaus filiam suam Herico dedit uxorem, cujus gratia societatis Dani a Slavis et Sveonibus juxta impugnati sunt. — Sororem Bolizlavi filia hic confudisse scholiastem, perfacile cognosces.

(3) Wendische Geschichten I. p. 231. not. 8.

(4) Langeb. Scriptor. rer. Dan. II. p. 479. not. (r).

fratrem germanum appellans (1), qua voce haud dubie fratrem uterinum, ex eadem matre oriundum vult significare. Itaque nihil certius est, quam a Boleslavi sorore et Canutum et Ólavum esse partos praesertim si veteris scholiastis testimonium adjicis. Quantum autem Islandi affinxerint, nunc clare elucet.

II.

DE CRITERIIS ISLANDORUM PROPRIIS.

De exterarum nationum scriptoribus, qui Islandorum historiam aliquo modo attingunt, satis dictum est. Deinceps, ut erat propositum, de iis fidei testimoniis, quae Islandi sibimet ipsi reddunt, dicatur. Horum quidem duplex est quaestio. Unum genus est, quod pertinet ad solam historiam, dum relatus pro se quisque profert testimonium; alterum, quod magis ad scriptores spectat, quibus illi inter se ipsos summam tribuunt auctoritatem.

§. 2.

Profecto enim omnium rerum natura praescribit eventum quendam proprium, quem quaeque sibi constans oportet alia alium percurrat. Sol enim verbi causa nequit unquam complures dies non exoriri, sed motibus siderum aeternis illigatus quotidie terra circumacta denuo lucet. Quod autem ut fit in physicis, ita etiam in iis evenit, quae sunt animi virtutisque. Nam fortis vir ac magnanimus quominus unquam ignaviter humileque se gerat, jure dubites. Unde facillime perspicitur, cunctas res gestas, quae legibus naturae ipsius aut illius indoli atque ingenio, cujus opera confectae dicuntur, minime conveniant, eas esse fictas et omni veritate alienas.

(1) L. c. II. c. 54. Eodem tempore memorabiles Aquilonis reges obierunt, Knut et Olaph germani fratres.

Quod quidem cognoscere et artis est proprium, quae, quid in re quaque verissimum sit, acutissime et celerrime videt, neque aliter fit in Islandicis quam in aliorum scriptorum omnium scriptis. Si igitur Islandi de umbris larvisque, aut sepulcrorum terriculamentis aut deorum daemonicorum et diaboli simulacris, ut saepissime neque minime fidi, narrant, id perinde ac quidvis ejusmodi, ubicunque legis, fabulis nugisque adjudicandum est. Sed hoc per se ipsum constat.

§. 3.

At inter illas conditiones, quibuscum aliqua res debet convenire, numeres praeter naturam ejusque leges inviolabiles praecipue temporis ac nationis, quibus evenisse dicitur, mores ingeniumque. Nam alios aliis temporibus fuisse mores et nationem quamque suum proprium ingenium et a ceteris discrepantem cultum victumque habuisse, negabit nemo, quos si quis praeteriret in rebus judicandis, valde per errorem laberetur. Pari modo etiam, quas Islandi tradunt, veterum septentrionalium res ex illius temporis ac gentis natura moribusque aut comprobantur aut refelluntur. Cui exemplum nobis liceat plenius et accuratius adjungere.

Jam inde ab inventis Islandorum fontibus, qui complurium seculorum oblivione contriti exeunte XVII sec. denuo sunt cogniti et in lucem prolati, summam effecit admirationem, quod Jomsvicenses feruntur castellum suum nullis uxoribus admissis habitasse. Hoc enim putabant significari, illos vitam omni libidine solutam degisse, quod ceteris Scandinavis plus nimis voluptati venereae deditis plerumque maxima laude efferebatur. Quin imo recentiores nonnulli scriptores, qui diligentius re circumspecta de testium auctoritate aliquantulum dubitant, nihilosecius temperantiam quandam ac castitatem ar-

bitrantur Jomsvicensibus esse per leges suas praescriptam, ut illustrissimus Dahlmann (1) eam magis a natura humana abhorruisse negat, quam coelibatum in ecclesia Romana usitatissimum, cui omnes sacerdotes subjecti sint, neque minus verisimilem fuisse illa continentia ac coelibi vita, quam Bergae ac Novigradi compluribus post seculis Germanici adolescentes, mercaturae causa ibi commorati, sua sponte subierint, quibuscum Barthold quoque Jomsvicenses comparaverat (2). Sed mihi hanc rem minime recte videntur intellexisse. Non id enim postulabant leges, ut Jomsvicenses mulierum consuetudine omnino abstinerent, neque ullam haberent uxorem, sed potius tantum, ut iis liceret, quotiescunque data occasione vellent, libidinibus impune inservire, si modo nec, quas duxissent, uxores, nec concubinas in castello secum retinerent. Quod praeclare veterum cum sodalitii institutis convenit. Nam Scandinavis adhuc more paganico viventibus comitatus saepenumero permagnus fortissimum quemque ducem, qui audacter et feliciter rem gessit, sectabatur, ut piraticam faceret tum temporis non in dedecore sed potius in laude positam. Tali sodalitati nomen Víkíngar imponebatur. Principio autem nihil alii erant, nisi milites, quod etiam verbum víkíngr denotat, qui sua sponte militia sumta in illis finibus stipendia meruerunt, quoscunque dux, cui sacramentum dixerant, et vicinos jussit et remotissimos adire. Exercitus enim publico delectu non conscribebantur, nisi id ponis in numero eorum, ut aliquando universus populus ad rempublicam intra fines suos defendendam plebiscito aut jussu regis convocaretur, sed quisquis voluit, milites sumtu suo colligens navibus instructis,

(1) Dahlmann Geschichte von Dännemark. I. p. 80.

(2) Geschichte von Rügen und Pommern. I. p. 326.

quibus veteres maxime utebantur, incursiones fecit in oram maritimam et hostium et haud raro civium ipsius, plerumque ad praedam agendam, quare nomen Vikingr postremo incipiebat angustiore notione illos significare, qui piraticam exercebant. Ab his vero non ita differunt administri et satellites regis, qui pari ratione ad quamvis militiam promti, quoad ille otiosos secum retinebat, hirðmenn quasi aulici vocabantur, tum vero, quum infestis armis profecti sunt aliquam terram adortum, itidem et negotium et nomen Vikinga induebant. Quod igitur aliis alio tempore institutis usi sint, prorsus a fide abhorret, potius verisimile est, illos iisdem legibus et domi et militiae adstrictos fuisse. Quidni ita res se haberet? Sed horum Vikinga tanquam conjuratio et ducem et comites tam arcte inter se conjunxit, ut quisque se totum sodalitio dedidisse videretur neque ullum officium haberet illo majus, quod sociis deberet. Constat enim cujusque ex sodalibus necem quasi sanguine conjuncti ulciscendam fuisse. Magis tamen quam haec lege sancita ultio arctiorem istius societatis colligationem effecerunt convivia atque syssitia, in quibus certo ordine plerumque discumbentes quotidie epulabantur, aeque ac compotationes, quas ab aliis diversa ratione instituebant, ut egregie ex loco quodam Snorronis libri Heimskringla inscripti consequitur, ubi Hiorvardum quendam ducem cum sodalibus ad regis Granmari convivium exornatum accessisse narrans (1): „Vesperi, ait, quum pocula erant evacuanda, fit pro more, inter reges, qui domi sedebant, aut convivia ipsi instruebant, tunc temporis recepto, ut vespertino tempore bini compotarent seorsim, mas et femina, quoad paria dabantur jungenda, reliqui autem qui plures convenerant,

(1) L. c. p. 50. Ynglingasaga, c. 41.

una in societate omnes. Piratarum autem more erat sancitum, ut, conviviis quum intererant, pocula per totam ordine irent sociorum cohortem. Suprema Hiorvardi regis sedes instructa erat e regione sedis summae Granmari, sedebantque (ab utroque ejus latere) eo in subselliorum ordine socii illius omnes. Granmarus rex Hildegunnam filiam suam allocutus jussit, ut rite parata cerevisiam piratis (vikingum) ministraret. Erat illa feminarum omnium pulcherrima, quae arreptum calicem argenteum, liquore impletum, manu tenens, regemque Hiorvardum accedens: salvete, inquit, omnes Ylfingi, quibus Rolfii Krakii in memoriam propino; quo facto, exhaustum ad dimidium usque calicem Hiorvardo porrexit, qui prehenso una cum ejus manu calice petiit, ut sibi assideret. Regessit illa, moris non esse piratis, ut bini bibant, mas et femina. Cui Hiorvardus, rem ita jam ferre, respondit, ut facta mutatione missoque piratarum more, cum illa solus bibat. etc.“ Aequo modo e compluribus locis, quos hic omittemus, colligas, sodales noctu etiam omnes in eodem dormitorio solitos esse se quieti dare.

Quid igitur est, quod admiremur, si viri tanta sodalitate conjuncti nullas mulieres admittebant? Quonam loco haberent? locone concubinarum? an imo uxoribus ductis lares familiares sibi conciliarent? Sed ubi gentium, quum non modo non domum, sed ne cubiculum quidem pro se quisque possideret? Itaque certum est, sicut Jomsvicenses, ita omne hujusmodi sodalitium mulieres a societate removisse, non ut aphrodisiis abstinerent, potius propterea quod continuata quaedam mulierum familiaritas minime conveniebat cum vitae eorum ratione, quae alia quavis consuetudine nisi sodalium plane interdixit. Perplurima hujus rei exempla afferri possunt, sed unum modo proponemus. Ut quaeque gens, ita etiam veteres boreales,

quos crediderunt, deorum res humanis et suis quidem moribus simillimas effinxerunt. Ab Odino igitur deo summo maximo arbitrabantur Valkyriis missis viros fortes ac strenuos proelio delectos esse, qui defuncti ad locum quendam, Valhalla dictum, adirent, ubi cum Odino epulis potatuque delectarentur, usque dum in ultimo exitio contra lupum Fenrerem aliaque Asis seu diis superis infesta numina duce illo assumto arma caperent. Quis ergo non videt, hunc Odini comitatum satellitibus, quos rex aut potentissimus quisque aleret, simillimum fuisse? Unde nostra sententia maxime confirmatur, quia Einheriar, i. e. illi ab Odino delecti comites, similiter nunquam mulieres ad sodalitium accedere sinebant. Quamvis enim in Valhallae 540 ostia octingenteni heroes intrare possent, mulieri tamen nulli data erat adeundi facultas, potius Einherii sibimet ipsi oblectamentum praebebant, quotidie armis sumtis congressi et certamine pugnantes, donec prandii tempore utrique caedentes ac caesi incolumes in Valhallam regrediuntur atque convivio communi instructo ad potandum consident. Sed ne haec quidem apud Odinum commorata sodalitas feminas a se propter castitatem quandam sejunxit, sed hanc ipsam ob causam, quam supra commemoravimus, quod jam eo cognoscas, ut servi non minus quam mulieres vetiti essent ad Valhallam adire, quodque illa veterum opinio haud dubium relinquit, qua Einherios credunt interdum etiam amoribus indulsisse, hac ratione, ut commeatu per Odinum dato noctu ab inferis regressi cum conjuge etiamnum superstite concubitum convenirent, potissimum in tumulo herois ossibus superstructo, unde ante lucem ad Valhallam revertendum erat, priusquam hic gallus (Salgofnir) populum

victorem, i. e. ceteros Einherios, e somno excitavit (1). Aeque vero etiam Jomsvicensibus licuit se voluptati dare, si modo et locum et tempus opportunum servarent, ut leges eorum accuratius perspectae satis declarant. Quamquam enim alter codex (2) libri illius, qui Jómsvíkingasaga inscriptus leges perhibet, vetitum esse ait, ne omnino quispiam uxorem in castello secum retineret, alter tamen hoc per unam noctem licuisse tradit (3). Cui legi in utroque codice connectitur praescriptum, quo Jomsvicensium quisque nunquam una aut tribus amplius noctibus abesse a castello jubetur. Quorsum illud spectet, quis non intelligit? Nam hoc tempore usi sunt quasi commeatu nacto, ut uxorem, si quam domi reliquerant, interdum viserent, aut sodalium consuetudine absentes non coërcente, alios amores sectarentur.

Ita ergo relatus quidam, cujus fides dubia videatur, moribus confirmatur Scandinavorum illiusque temporis usitatissi-

---

(1) Hoc maxime ex fabula de Helgii et Sigrunae amore composita colligere potes. Helga quiþa Hundíngs bana hinn aunnr. str. 40, 46 et 48.

(2) Jómsvíkingasaga etc. utgefnar ad tilhlutun hins Norraena fornfraedafèlags. c. 24. (Fornmanna Sögur XI): Alls engi maðr skylde þar kono hafa innan borgar, ok engi skylde á braut vera þaðan 3 nóttum lengr or borginne, nema Pálnatóka ráð vaeri til ok leyfi.

(3) Jómsvikinga saga ed. Hammersk. c. 10. p. 68. Engin maþr skilldi þar i Jomsborg konu nokra vera lata leingr enn nott eina. Ongum manne skilldi lidast at vera a burtu ur Borginni leingri enn nott, nema Pallnatoke leyfdi.

mis enodatus. Nequaquam vero nos praeterit, quanta difficultate mores institutaque veterum ad investigandos scriptores adhibenda sint, quum illa ipsa nonnisi ex eorum scriptis cognoscamus; hic tamen acies ingenii elucebit, quae acute et subtiliter, quid sit fide dignius, quid magis comprobatum, discernens usu compluribus locis enucleate perspecto, quocum quae non satis conveniunt, refellit omnia. Sed haec hactenus.

§. 4.

Restat, ut de iis dicamus, quos Islandi sibimet ipsi testes et auctores producunt. Praeclare quippe intelligunt, e sermone compertum ac longo tempore per manus traditum aut fallente memoria aut fabulatore affingente paullatim prorsus discedere a veritate totumque fere aliud existere (1); idcirco summam tribuunt auctoritatem huic tradendi rationi, qua quodvis dictum nunquam commutari potuit, aeque et illi scriptori, qui veritati quam maxime studens omnium primus literis mandavit ea, de quibus viros longe majores natu tumque temporis peritissimos diligentissime percontatus erat.

Tradendi vero rationem, quam dicimus, praestant carmina vetusta, quae verbis versu inclusis ac certo numero adstrictis commutationem sustinentia paene nullam, quomodo primum dictae sunt, res gestas semper eodem modo referunt.

---

(1) Olavi Sancti historia. Prologus. Script. historica Islandorum. P. IV. p. 4:

„Verba, numero poëtico conclusa, si recte pronuntiantur, eadem sunt, atque primitus fuerunt, neque per manus tradita possunt immutari. Quae vero referuntur historiae, periculum est, ne diverso modo intelligentur; sunt enim, qui procedente tempore rei auditae memoriam deponant, unde fit, ut hos saepe memoria fallat, et narrationes certam fidem amittant.“

Sed inter scriptores plurimum auctoritate apud Islandos valuit Arius sacerdos, Thorgilsi filius, cognomine hinn Frodi, h. c. Polyhistor, de quo primum breviter disseremus.

A.
DE ARII FRODIS CHRONOLOGIA.
§. 5.

Arius Polyhistor a. 1068 p. Ch. natus atque 1148 obiens, et propter aetatem, quoniam omnium primus scripsit, et propter doctrinam illo tempore maximam et propter prudentiam ac circumspectionem, qua fidissimis testibus usus est, et propter patientiam quandam magnopere exquirendi verum, Islandis justo jure videbatur homo gravissimi esse ponderis, cujus narratio sincera rataque esset habenda. Sic enim Snorro Sturlae filius de Ario praefatur: „Omnia ab eo relata multis hujusmodi gnaris videntur praecipue memoratu digna: erat enim vir insignis prudentiae ejusque aetatis, ut proxima hieme post caedem Haraldi Sigurdi filii natus esset,“ et iterum fontibus ejusdem enumeratis: „Non igitur mirum,“ ait, „quod Arius sacerdos rerum priscarum, tum hac in terra, quum apud exteros gestarum veram notitiam tenebat, quam ipse discendi cupidus, prudens ac tenaci memoria praeditus a viris aetate provectis atque rerum scientissimis acceperat (1).“

---

(1) Oc þykir mörgum vitrum mönnum hans sögn öll merkiliguz: var hann forvitri oc sva gamall, at hann var foeddr naesta vetr eptir fall Harallds Sigurdarsonar. — Þvi var eigi undarligt, at Ari prestr vaeri sannfródr at fornum tidindum, baede her oc utanlands, at hann var sialfr námgiarn oc vitr oc minnugr, enn hafdi numit at gömlum mönnum oc vitrum.

Liber vero de Islandorum politia annorumque computatione, qui inter annos 1120—1134 (1) ab auctore confectus ac nomine Islendíngabók inscriptus adhuc restat, non omni ratione convenit cum eo, quod Islandi Arium conscripsisse perhibent (2). Nam permulta loca a diversissimis scriptoribus ex ipsius libro citata in hoc, qualis nunc est, jam non reperiuntur, aeque et illam narrationem desideras, quam Snorro dicit de regibus Norvegiae et Angliae per Arium esse contextam. Quo efficitur, ut noster aut alterum etiam majorem librum composuerit, quod viro Danico perfectae eruditionis, Ern. Ch. Werlauff, de Ario multiscio quaerenti (3), maxime placuit, aut unum quidem eundemque adhuc restantem scripserit, cui tamen narratio, quam Snorro dicit, olim fuerit addita, ut ab Engelstofftio primo enucleatum complures alii jure probant (4), quia ista quoque loca, quae alii scriptores ex Ario

(1) Giesebrecht, Wendische Geschichten III. p. 321.

(2) Snorri Sturlason. Heimskr. Prol: „Sacerdos Arius Thorgilsi filius, polyhistor, primus omnium in hac insula sermone boreali res tam prisci quam recentioris aevi literis mandavit. Is primo, in exordio libri sui, primam descripsit Islandiae habitationem legumque constitutionem, deinde de praetoribus commemoravit, quot annos singuli jus dixissent, annos computans, primum ad religionem christianam in Islandia introductam, deinde ad sua usque tempora. His multa quoque alia documenta addidit, tam regum Norvegiae, Daniae et Angliae historiam, quam res insignes hac in insula gestas.“

(3) De Ario Multiscio, antiquissimo Islandorum historico, specimen inaugurale. Ern. Ch. Werlauff. Havn. 1808.

(4) P. F. Mueller. Om den islandske Historieskrivning. Nordisk Tidsskrift for Oldkyndighed. I. p. 40.

desumta esse tradunt, nonnisi historiam Norvegiensem attingunt. Sed utrorumque sententiae, siquidem recte perspicis rem, non adeo inter se differunt. Arius enim, ut ipse ait (1), librum, qualem primum confecerat, episcopis Thorlacio et Ketillo aeque ac Saemundo presbytero ad percensendum tradiderat, qui non omnia ibi conscripta approbantes nonnulla augenda esse censuerunt vel corrigenda. Idcirco emendavit Arius, cujusque interim certiorem acceperat notitiam, id luculentius quam in priori editione enarrans genealogiis vitisque regum plane omissis in hanc formam coarctavit opus, qualem nunc prae se fert. Itaque Arium non libros quidem duos, sed tamen duas unius libri editiones composuisse apparet, quae imprimis sic dissentiunt, ut ad priorem etiam illa de Norvegiae regibus narratio accesserit. Quum vero hanc Snorro non modo commemoret, sed etiam, sicut nonnulli alii scripto-

---

(1) Arii Frodis Schedae seu I s l e n d i n g a b ó k. Ed. Bussaei. Prolog: I s l e n d i n g a b ó k g j o r d a e k f y r s t B y s c o p o m o r u m, T h o r l a k i o k K a t l i, o c s y n d a c b a e d i þ e i m o c S a e m u n d i P r e s t i. E n m e d þ v i a t þ e i m l i c a d i s v a a t h a v a, e d a þ a r v i d r a u k a, þ a s c r i f a d a o c þ e s s a o f e k s a m a f a r, f y r u t a n A e t t a r t o l o o c K u n u n g a a e v i, o c i o c c þ v i e r m e r v a r d s i d a n c u n n a r a, o c n u e r g e r s a g t a þ e s s i, e n n a þ e i r r i. i. e.

Libellum Islandorum primum conscripsi in gratiam Episcoporum nostrorum, Thorlacio et Ketillo; utrique ut et Saemundo presbytero eundem exhibui censendum. Quia vero visum est illis, ut quaedam ita manerent, nonnulla augerentur, hanc ejusdem generis scriptionem adornavi, in qua omissis genealogiis vitisque Regum ea adjeci, quorum postea certiorem acquisivi notitiam, quaeque in hoc luculentius nunc, quam in priori illo narrantur.

res, ex ea loca quaedam producat, semper verbis ejusmodi additis: „sic dicit Arius,“ „sic legitur in Arii libro,“ in Arii narratione“ etc., hoc colligi potest, majorem prioremque editionem longo centum annis amplius in omnium usu fuisse, plerisque optime notam. Quo magis est admirandum, quod perdita sit, sed fortassis obtigit, quia, postquam complures posterioris aevi scriptores ex ea tanquam fidissimo fonte hauserunt, per hos uberiores relatus oblivioni dabatur, quum contra minor editio, quippe quae melius et correctius quam prior comprehenderet, quod excepto Ario ab aliis Islandis haud omnino, nedum uberius tractatum minime posset pari modo in oblivionem adduci, tota integra posteris traderetur.

Sed loca, quae ex illo relatu deperdito proferuntur, fere omnia in eo versantur, ut temporum ordines explicent, unde tale maxime fuisse putes auctori propositum neque aliud in illa historia scripsisse Arium, nisi computationem annorum, quibus singuli Norvegiae reges regnaverint, quum praesertim etiam liber, qui exstat, similiter Islandiae praetores seu legiferos (Lögsögurmenn) ad sua usque tempora recenseat, quotque annos quisque eorum jus dixerit. Quamquam vero haec Arii temporum descriptio summi est momenti, quod tum alii scriptores Islandici satis declarant illo potissimum teste producto, tum recentiores non ignorant, paene omnes tamen adhuc chronologiam, quam habuerit noster regum Norvegicorum, fragmentis singulisque citatis ordine compositis, eruere neglexerunt, quo omisso historiam Norvegicam praecipue X seculi, valde discrepantibus maximeque variis relationibus plus nimio perturbatam, prope magis etiam confuderunt, ut Schoening, praeter historiam enarrandam de chronologia quoque quaestionem intituens et Suhm, ille doctissimus vir, aliique complures

fecerunt. Quin etiam Ern. Chr. Werlauff, qui de Ario Multiscio dissertationem inauguralem scribens diligentissime ejus fragmenta collegit, haec praetermisit in ordinem redigere, pariter ac L. Giesebrecht, etiamsi quam omnes magis Arii auctoritatem et gravitatem inter fontes Islandicos perspexit, quantamque vim ejus chronologia habeat ad narrationes Islandorum quasdam aut comprobandas aut refellendas, minime tamen studuit seriem temporum universam, qualis inde ab Haraldo Pulchricomo ad suam usque aetatem per Arium proposita sit, recte enodare, unde fieri potuit, ut ab auctore quodam non satis accurate Arium quasi testem citante deceptus nostro chronologiam quandam addixerit falsam, qua ad examinandum libellum, Jómsvikingasaga inscriptum, adhibita valde lapsus est errore. Solum inveni Arnam Magnaeum, qui ob merita sua praestantia in Islandorum rem literariam collata jure meritoque summa laude celebrandus, vir acutissimi ingenii, etiam Arii computationem et investigavit diligenter et accurate cognovit (1), sed non satis audax, ut nostrum secutus alios discrepantes relatus rejiceret, parum in chronologia regum Norvegicorum profecit.

(1) Jon Loptsons Encomiast, ed. John Erichsen. Kiöbenhavn 1787, cui editor adjecit: Thormod Torvesens Brev-Vexling om de meest omtvistede Punkter i den gamle Norske, samt tillige tildeels den övrige nordiske Tids-Regning, fört med adskillige Laerde, men dog fornemmelig med Arnas Magnussen, (p. 35—127), quod epistolarum corpus et Arnae Magnaei literas aliquot danicas (ex autographo Islandico translatas) et commentationes quasdam latinas: de chronologia Haraldi Pulchricomi et insequentium Norvegiae regum (p. 66—68), de Olavi Sancti aetate (p. 68—71) continet.

Verumtamen ne in Arii computatione et eruenda et aestimanda fallamur, paullum longius est abeundum.

Islandi ex Norvegia in novam patriam immigraverant, quare initio saltem, priusquam praetoribus (lagmenn) universae insulae praefectis rationem temporum domesticam invenerunt, necesse erat annos Norvegiae regum computarent, nec posterius quoque vario commercio et veterem et novam patriam arctissime conjungente illum usum plane abdicarunt, ut homines tam discendi atque omnes res gestas maximeque patriae perquirendi cupidos (1) certissimam arbitreris notitiam habuisse, quot annos regum Norvegicorum imperaverit quisque. Sed procedente tempore interdum memoria, ut res humana fert, falluntur, qua causa primum dubitatio quaedam, tum relatus perquam a se discrepantes existunt. Idcirco haud mirum, quod etiam Islandi annos regum Norvegiae incipiebant inter se differentes computare. Hoc autem est, cur jam permature duo viri, uterque tum temporis summae eruditionis ac doctrinae, eo sint adducti, ut dubiae loco memoriae certam constituerent veramque computationem. Quorum alterum quidem jam novimus, Arium nostrum, alter erat Saemundus, ejus aequalis paullum major (2) idemque sacerdos et jure, quoniam Lutetiis Parisiorum literas haud frustra tractaverat,

---

(1) Hoc sibimet ipsi testimonium dant Islandi: Landnámabók Praof. enda ero sva allar vitrar þiodar, at vita vilia upphaf sinna landsbygda eda hvers hverge til hefiast, edr Kynsloder, i. e. denique omnibus populis, qui scientias coluerunt, curae cordique semper fuit, ut habitationum patriae initia et incrementa seriemque majorum diligenter perquirerent.

(2) A. 1056 natus est et obiit 1133.

itidem nomine hinn froði honoratus. Quum vero ne horum quidem computationes ubique consentiant, atque in eo, ut mox Arium, mox Saemundum sequantur, mox nova inveniant, non modo Islandi ipsi, sed etiam recentiores, qui de historia Norvegiae antiqua nonnihil disseruerunt, adhuc omnes offenderint, primum est opus computationem nos exponere, quam habeat Saemundus, tum Arii, denique utraque comparata, cui sit major fides tribuenda, decernere.

§. 6.

Saemundi chronologia solo e carmine cognoscitur, quod auctor quidam incertus ad laudem Jonis Lopti filii et Saemundi nostri nepotis ante annum 1197 composuit (1). Quum encomio celebratus regiae stirpi aliquid esset affinis, carmine etiam reges Norvegiae enumerat poëta, longam celeberrimorum proavorum seriem maximae esse gloriae arbitratus, quibus ab Haraldo Pulchricomo ad Haraldum (severum) Sigurdi filium recensitis: „Nunc quidem, ait, decem reges inde ab Haraldo enumeravi, quotque annos singuli regnaverint, secundum Saemundi polyhistoris narrationem (2)."

---

(1) Conf. p. 25, not. 1., etiam denuo rursum ediderunt, sub titulo: Hèr hefr Noregs konúnga tal, er Saemundr hinn fróði orti. Fornmanna Sögur. B. X. p. 422.

(2) Str. 40.

Nú hefi ek talt
tiu landreka,
þá er hverr var
frá Haraldi,
inta ek svå
aefi þeirra
sem Saemundr
sagði hinn fróði.

Tali igitur teste Saemundus imperio Haraldi Pulchricomi septuaginta trium annorum spatium tribuens Erici, ejus filii, quinque annos computavit regnantis, tum illius frater minor natu, Hacon Adalsteini alumnus viginti sex hiemes reipublicae praefuit, postea Haraldus cognomine Gráfeldr (Canaepellis) per novem annos, quo occiso Hacon Sigurdi filius, praefectus Nidrosiensis (Hladejarl), triginta tribus annis regno potiebatur. Deinde ad Olavum Tryggvii filium summa est rerum delata, quem quinque post annis pugna navali superatum et interfectum Haconis filii, Ericus et Sveno exceperunt, ita ut duodecim annos conjunctim, tum vero Erico imperio se ab-

---

Nonnulli scriptores dubitant, num haec computatio, qualem Johannis Loptii encomiastes producit, revera Saemundi sit, quia huic multa scripta falso addicta sint auctori, itaque et illa falso possit assignari. Sed talem dubitationem rejicies, si perpendis; 1. Nostrum encomiastem carmen suum ante annum 1197 condidisse et coram Johanne Lopti filio et Saemundi nepote recitasse, auctorem igitur non ita ab Saemundi aetate († 1133) abfuisse, ut verum non habuisset compertum, minime vero de industria falsa cum protulisse, quum praesertim Saemundi nepos haud dubie haec correxisset. 2. Oddus quoque monachus expressis verbis de Saemundi chronologia disserit, et quod ex ea citat, cum nostri relatione plane convenit (Oddus scripsit autem circiter annum 1180). 3. Si Saemundo etiam falso scripta quaedam assignaverunt, hoc tamen XIV demum seculo, aut vel posterius factum est. 4. Quod ad Snorronem attinet narrantem, Arium primum inter omnes Islandos conscripsisse librum, conjectura tibi augurandum est, aut Saemundum post Arium literis custodiisse chronologiam, cui nihil repugnat, aut latine scripsisse et Arium primum lingua vernacula usum esse, quare Snorro eum prae aliis nominet.

dicante Sveno et Hacon Erici filius, alios quoque annos duos regnarent, donec ab Olavo Haraldi cujusdam filio, cui post mortem sanctis adscripto aequales cognomen hinn digre (crassus) imponebant, e Norvegia depulsi sunt; quo quindecim post annis eandem sortem subeunte atque in conatu imperium armis recipiendi occiso Canutus, rex Daniae, filium suum, Svenonem, ex Alfiva natum, Norvégiae praefecit. Hunc autem per sex annos rempublicam moderatum dejecit Magnus, Olavi filius, qui etiam Daniam adeptus duodecim post hiemibus obiit.

Haec ergo est Saemundi computatio ab Jonis encomiaste producta. Sed ne fallamur, unum quoddam oportet respiciamus. Alii enim scriptores Islandici aequa ratione Erici, Haraldi filii, imperio quinque annorum spatium tribuunt, sed omnes universi dicunt, tres horum patre etiamnum vivente eum regnasse, quare rectius computato, si Erici imperium modo post Haraldi mortem mavis initium fecisse, solis duobus annis summae rerum praeerat. Idem vero haud dubie Saemundus statuit, quod paucis praemissis clarius elucebit. Nam restat quoque, ut Saemundi computationem ad aeram christianam referamus, quam in rem aptissima est ejus sententia, qua anno millesimo p. Ch. n. et religionem christianam vult in Islandia plebiscito esse acceptam et Olavum Tryggvii filium proelio Svöldrensi concisum (1). Hinc ultro

---

(1) Arii Islendingabôk c. 7: þenna Atburd sagdi þeitr oss, at þvi er Christri com a Island. — Enn Olafr Tryggvasun fell et sama sumar, at sago Saemundar prestz. þa bardisc hann vid Sveinn Haralls-sun Dana-Konung; oc Olaf enn Saenska Eirikssun at Upsolum, Svia-Konung; oc Eiric (er sidan vas Jarl

citroque computans facile invenies, quoto anno aerae Christi quidvis sit factum. Est igitur hic fere temporum ordo, qualem Saemundus enodavit:

a.	852	p. Ch. n.	Haraldus Pulchriconus fit rex.
—	922	—	— Ericum filium imperii accipit socium.
—	925	—	— obiit.
—	927	—	Ericus depulsus est ab Hacone.
—	953	—	Hacon Adalsteini alumnus interficitur, Haraldus Gráfeld rex.
—	962	—	Haraldus mortem subit, Hacon Hladejarl Norvegiae praeest.
—	995	—	Olavus Tr. fil. in patriam redit, Hacone necato rex factus.
—	1000	—	in pugna Svöldrensi occiditur.
—	1012	—	Ericus jarl, Haconis fil., imperio se abdicat.
—	1014	—	Sveno et Hacon ab Olavo S. depelluntur.

---

at Norvegi) Hakonarsun. Þat vas CXXX vetra epter drap Eadmundar, enn M eptr Burd Christz, at Altbydo tali. i. e. Hanc christianae in Islandia religionis originem Teitus nobis retulit. — Olavus Tryggvinus eodem anno mortem oppetiit secundum Saemundi presbyteri narrationem, pugnando sc. cum Svenone Haraldi filio, Daniae Rege; Olavo Sveone, filio Erici Upsalensis, Sveeorum Rege; Erico quoque Haconis filio, postea in Norvegia Comite. Contigit hoc anno post caedem Edmundi centesimo trigesimo, post natum Christum millesimo secundum computum vulgarem. — ed. Bussaci p. 47.

— 1029 p. Ch. n. Olavus proelio Sticklastadensi superatus moritur.

— 1035 — Sveno, Canuti et Alfivae filius Norvegiae imperium cogitur deponere.

— 1047 — Magnus, Olavi S. filius, in loco Daniae quodam vita decedit.

Annus autem 852, quo Haraldus Pulchricomus regno oportet potitus sit, si Erici tres annos patre etiamnum vivente et duos post ejus mortem regnantis computas, praeclare convenit cum Theodorico monacho, qui hunc annum incipientis Haraldini imperii ab Islandis traditum accepit, quod quidem ab illis nusquam hoc modo nisi a Saemundo factum est: „Anno ab incarnatione Domini, ait Theodoricus (1), millesimo quinquagesimo secundo regnavit Haraldus Pulchre-comatus, filius Halfdani Nigri. Hic primum expulit omnes regulos et solus obtinuit regnum totius Norvegiae annos septuaginta et defunctus est. Hunc numerum a n n o r u m D o m i n i investigatum, prout diligentissime potuimus, ab illis, quos nos vulgato nomine Islendingos vocamus, in hoc loco posuimus," etc. — Corruptelam „millesimo" pro octingentesimo facile perspicies, sed alias injicit dubitationes Lud. Giesebrecht, qui hunc locum vult esse interpolatum (2). Nihil tamen est, cur id credamus, quum hic annus optime consentiat cum tota ejus chronologia, quae etiam ex anno, quo Olavum Sanctum perhibet proelio cecidisse (quarto Calend. Augusti 1029) (3), ad aeram christia-

(1) Historia regum Norveg. c. 1. ap. Langebek Script. rer. Dan. P. V. p. 312 etc.

(2) Wendische Geschichten III. p. 361.

(3) De Regibus vetustis Norveg. c. 19. l. c.

nam referri potest. Eandem ob causam, si insuper duriorem quoque monachi sermonem perpendis, nequis dubitare, quin verba „Anno 852 regnavit Haraldus" hoc sibi velint, ut, quod negat Giesebrecht, illo anno Haraldi imperium incepisse significent. Quod ut lectoris permittamus libero judicio, et Theodorici computationem producemus. Regnaverunt igitur illo teste (1):

Haraldus Pulchr.	70 annos	- -	852-922 p. Ch. n.
Ericus Sanguisecuris	3	- - - -	925 -
Hacon Adalsteini	25	- - - -	950 -
Haraldus Canaepellis	12	- - - -	962 -
Hacon jarl	30	- - - -	992 -
Olavus Tryggvonius	5	- - - -	997 -
Ericus et Sveno	15	- - - -	1012 -
Sveno et Hacon	2	- - - -	1014 -
Olavus Sanctus	15	- - - -	1029 -

Aequa ratione solummodo ex Saemundi chronologia recte supputatur temporis spatium, quod 148 annorum Oddus monachus Olavi Tryggvonii vitam describens ab initio Haraldini imperii usque ad Olavi mortem praeteriisse dicit. Sic enim corrigendum esse arbitror, etsi Oddus ipse illud spatium non ad annum refert, quo obiit Olavus, sed potius ad secundum ejus regni (2). Hic vero annus haud omnino quidquam habet memoratu dignum, cujus gratia Islandi, quantum temporis interesset inter eum et Haraldi imperium, ad calculos revocaverint. Contra annus millesimus p. Ch. n., quo Olavus vita

(1) Ibid. c. 1, 2, 4, 7, 14, 20.

(2) Saga Olafs Tryggvasonar c. 23. Fornmanna Sögur X. p. 276. Þát er sagt at i fyrstu er Haralldr hinn hárfagri tók ríkit etc.

excedit et hanc ipsam ob causam et eo, quod fides christiana tunc publice suscipiebatur in Islandia, maxime erat notabilis summique fere momenti, unde adduci potuerunt, ut ab Haraldo Pulchricomo, sub cujus imperio primum viri Norvegienses e patria depulsi in Islandiam coeperunt habitatum proficisci, ad illud usque tempus, quo sacra patria deseruerunt, intercedentes annos diligentissime computarent. Huc accedit, ut Islandi plerumque numerum annorum quendam accuratissime memoria retinuerint, sed tempus, de quo ille subducatur, saepenumero confuderint. Hoc est praecipue, cur talem chronologiae perturbationem effecerint. Causa vero, cur Oddus tribus annis in conficiendis rationibus errat, haec videtur ipsa fuisse, quia Saemundi computationem non satis intelligens imperio, quod Ericus tenuit solus, quinque assignavit annos.

Sed nunc de Arii computatione dicamus.

§. 7.

Arii chronologiam rerum Norvegicarum aliqua ex parte et ejus liber, Islendíngabók inscriptus, edocet, plurimum autem illa loca tradunt, quae Snorro Sturlae filius, Gunnlaugus monachus, Olavi Sancti vita aliique scriptores ex Arii narratione desumta esse volunt. Proinde regnaverunt deinceps: Haraldus Pulchricomus annos septuaginta (1), Ericus Sanguisecuris duos, Hacon Adalsteini alumnus viginti sex, Haraldus Canaepellis quindecim (2), Hacon Hlaðajarl viginti,

(1) Arii Frodis Schedae p. 11. Enn sva er sagt, at Haralldr vaeri LXX vetra Konungr oc yrdi attraedr i. e. Proditum autem est, Haraldum septuaginta annos regnasse, octogintaque natum fuisse.

(2) Heimskringla. Saga af Olafi Tryggvasyni c. 13. — Þá voro liðnir frá falli Hakonar Aþalsteins

Olavus Tryggvii quinque, Ericus et Sveno, Haconis filii, duodecim, Sveno et Hacon, Erici filius, duos annos. Deinde unum inducit annum, quo Sveno et Olavus Sanctus inter se decertaverint, quemque complures Svenonis imperio annumerant, Arius autem videtur potissimum Olavo adscribere (1). Praeter hunc dicit Olavum per alios quoque annos quindecim regnasse.

Sane quidem dubitare queas, num tot annos, quot Erico et Haconi Adalsteini alumno assignavimus, reapse Arius ha-

---

fóstra 15 vetr at sögn Ara prests þorgilssonar en frá falli Sigurþar hlaðajarls 13 vetr, i. e. Tum (Haraldo mortuo) praeterlapsae erant post caedem Haconis Adalsteini alumni 15 hiemes, ut tradit Arius presbyter Thorgilsi filius, sed post caedem Sigurdi Praefecti Hladensis 13 hiemes.

(1) Saga Ólafs Konúngs hins helga. c. 171 (Fornmanna Sögur V. p. 23.) Ólafr Konúngr hafdi þá verit Konúngr yfir Noregi 15 vetr með þeim vetri, er þeir Sveinn jarl voru báðir, ok með þessum, er nú um hrið hefir verit frásagt, ok var þá liðit um jól fram, er hann lét skip sin ok gekk á land upp, sem fyrr var sagt. þessa grein Konúngdóms hans ritaði Ari prestr þorgilsson hinn fróði, er baeði var sannsögull ok minnigr etc; en hitt er alþýðu sögn, at Ólafr Konúngr vaeri 15 vetr Konúngr yfir Noregi áðr hann fell, en þeir er svá segja, þá telja þeir Svein jarl til rikis þann vetr, er hann var siðast i landi, þviat Ólafr Konúngr var siðan 15 vetr Konúngr svá at hann lifði. i. e. Hoc tempore rex Olavus quindecim hiemes rex Norvegiae praefuerat, si annumeras illam hiemem, qua is atque Svein dynasta una regno praefuere, item hanc jam aliqua ex parte a nobis me-

beat, quia nusquam illud his ipsis verbis traditur; sed ita computant non solum Snorro, Olavi Sancti historia, Gunnlaugus monachus aliique complures, quos semper fere Arii chronologiam sequi novimus (1), sed etiam omnes Islandici scriptores cum eo consentiunt, quemadmodum Saemundus, alias nonnunquam Ario discors, annales Reseniani diversique Islandorum fasti, quin imo Theodoricus vult per viginti octo annos Ericum et Haconem reipublicae praefuisse. Verumtamen ne detorqueamus veritatem, silentio non praetermittemus, nonnulla quamvis paucissima scripta ab illa supputatione dissidere, sed ita quoque de uno dumtaxat anno agitur, sive ut Erici imperio unum aut tres annos tribuant, sive Haconem per viginti quinque aut viginti septem hiemes regem fuisse dicant. Postquam enim Haraldo mortuo unam hiemem cum bona pace regnavit Ericus, Hacon ex Anglia rediens, ubi eum Adalsteinus educaverat, statim a Thrandis rex creatur, dum reliqua

---

moratam, quae hiems tum ultra festum Iolense provecta erat, quum rex relictis navibus in terram escenderat, ut antea dictum est. Hanc imperii ejus partem descripsit sacerdos Arius polyhistor Thorgilsi filius, qui et erat veritatis amans et bona praeditus memoria etc. Vulgo autem traditur, regem Olavum 15 hiemes regem Norvegiae fuisse, antequam occubuerit. Quae qui contendunt, Sveinis dynastae imperio annumerant eam hiemem, quam hic ultimam intra regni fines est commoratus; posthac enim rex Olavus 15 hiemes rex fuit, ita ut in vivis esset.

(1) Hoc facile intelliges, si eorum computationem cum Ario comparas, quod tamen Gunnlaugus monachus expressis verbis et ipse de se fatur: Saga Olafs Tryggvasonar. Skalholt. 1689. P. II. c. 106 p. 321: Segist bródir Gunnlaugr þat eina skrifat hafa, sem hann hefur af sannordum mönnum

Norvegiae pars ab Erico, qui altera demum hieme praeterlapsa exsul e patria discessit, nondum defecerat. Prout igitur hunc annum, quo Ericus et Hacon de imperio inter se decertaverunt, aut illi aut huic annumeras, diversum temporum ordinem efficies, ita ut, si Erico annumeraretur, quod potissimum fiebat, hic bienne haberet et Hacon per viginti sex annos imperium. Sin autem mavis Haconi eum, de quo ambigitur, assignari annum, tum computando apparebit Ericum unam tantum hiemem regnasse, quod statuit historia Haraldi Pulchricomi quaedam a Thormodo Torfaeo citata (1), proinde atque ab Hacone per viginti septem hiemes rempublicam esse tentam, id quod unus vitae Olavi Sancti codex (2), sicut annales Skalholtini contendunt. Sed quum vulgo bienne Erici imperium proderetur, perfacile potuit fieri, ut aliquis supra memoratae computationis inscius, istud esse spatium, quo Ericus solus regnasset, putans iterum huic belli cum Hacone gesti annumeraret annum. Itaque complures Erico etiam tres annos tribuunt, annales nimirum Regii, Flateyenses et chartacei, sub quo nomine Arnas Magnaeus illos producit (3), regum Norvegicorum historiae fragmentum (4) et Theodoricus monachus. Quem calculum tali confusione atque errore haud satis accurate supputantium exstitisse, praeclare Theodorici demonstrat relatus: „Iste (Ericus) annis tribus re-

heyrt, oc einkanlegast hafa samanlesit þat er hann hefur fundit i bókum Ara Prests hins Fróda.

(1) Jon Loptsons Encomiast, ed. John Erichsen. p. 81.

(2) Scripta historica Islandorum P. IV, p. 17.

(3) Jon Loptsons Encomiast, p. 65.

(4) Stut Agrip af Noregs Konungasögum. Formanna Sögur X. p. 377. sequ.

gnavit, quorum duos solus, tertium cum fratre." Ex hoc autem necessario alii prodierunt errores. Nam quia Theodoricus Erico tres annos assignavit, Haconi nonnisi quinque et viginti adscribere potuit. Aequam ob causam historia regum Norvegiae quinquenne Erici imperium, quod omnes universi ei adscribunt, ita dispertit, ut Ericus biennium tantum patre etiamnum vivente et triennium post ejus mortem regnaverit (1), quum tamen e contrario triennium optimis testibus constet hunc cum Haraldo patre conjunctim tenuisse regnum et duos annos solum.

Quod vero aliud quoque tradit commemorata Norvegiae historia, primam Erici filios incursionem fecisse in Norvegiam Hacone quindecim hiemes rempublicam moderato, qui hinc IX post annis morte occumberet (2), id videtur potius exstitisse sola librarii aut veteris aut recentioris incuria, IX pro XI forte substituentis, quoniam hic auctor ex omnibus unus esset Islandus Haconis imperio viginti quatuor annos computaturus, dum, si Norvegiensem monachum Theodoricum viginti quinque annos statuentem omittis, reliqui omnes Islandi Haconem volunt viginti sex annos regnasse, exceptis et illis duobus, quos praeterea unam quoque hiemem annumerare supra jam diximus.

Quum igitur Islandici scriptores prope cuncti hic quam

---

(1) Ericr bloþax . . helt Noregi V vetr alz meþ þeim tveim vetrum er honum var fur Konung heilsat i landino, þa er Haraldr lifþi, en þria siþan. i. e. Ericus Sanguisecuris . . tenuit Norvegiam 5 per hiemes omnino, quarum duas terram regnavit Haraldo vivente, sed tres postea. Fornm. Sög. X. p. 380.

(2) Ibid. p. 382.

maxime consentiant, Arium solum iis contradixisse non est credendum; minime vero tantum potuit ille dissentire, quantum accuratissimus alias L. Giesebrecht scribit, e cujus sententia Erico et Haconi modo quindecim annos assignaverit. Quod autem confirmaturus Giesebrecht nihil omnino habet nisi quendam Oddi monachi calculum, qui e narratione Saemundi et Arii, ut dicitur (1), desumtus Haconem praefectum (Hlaðajarl) triginta tres annos summae rerum in Norvegia praefuisse refert, postquam Haraldus Canaepellis proelio cecidisset.

Atqui Saemundus revera illam annorum computationem depromsit, ut ejus chronologia supra enodata satis superque demonstrat, sed Arius nullo modo totidem, potius viginti tantum annos Haconi adscripsit, quod etiamsi nusquam expressum clarissime elucet, quoniam Snorro Sturlaeus, vita Olavi Sancti, Vita Olavi Tryggvii, a Gunnlaugo monacho composita, quem ipso teste quidvis in Arii scriptis repertum collegisse recorderis, historia regum Norvegiae illa jam supra memorata, Annales Skalholtini, Reseniani, Flateyenses, historia Haraldi Pulchricomi, fastique, quotquot sunt, denique omnes Islandi universi excepto uno Saemundo Haconem praefectum produnt

---

(1) Saga Ólafs Konúngs Tryggvasonar, rituð af Oddi múnk. c. 22. Fornmanna Sögur X p. 276: Enn þessir menn samþyckia þetta með þessum hetti Saemundr hinn fróði oc Ari hinn fróði; er hvârstveggia sögn er trúlig, at Hákon hafi stýrt rikinu XXXIII vetr, siþan er féll Haralldr gráfelldr. i. e. Hi autem viri cum eo consentiunt, quod Saemundus polyhistor et Arius polyhistor, quorum est utriusque narratio fide digna, referunt, Haconem regnum tenuisse XXXIII annos, postquam occideret Haraldus Canaepellis.

viginti annos regnasse. Unde hic consensus, nisi Arius, quem potissimum sequebantur, ejus auctor fuisset? An potuissent prorsus nullam Saemundi rationem habere, si huic Arius assentiens summum attulisset pondus? Quomodo tamen Oddus monachus, scriptor haud ita subtilis ingenii, similitudine quadam deceptus Arii cum Saemundi chronologia confuderit, perfacile intelliges. Nam ille quoque Haconi tribuit triginta tres hiemes, modo ne ab anno, quo Haraldus Canaepellis obiit, subducantur, sed potius ab eo, quo Sigurdus Haconis pater interfectus est, quod accidit biennio post mortem Haconis Adalsteini alumni et tredecim annis ante quam Haraldus Canaepellis pugna cecidit (1). Ita ergo ditionem paternam, quae Haconi Nidrosiae erat, tredecim annos nomine praefecti (Illaðajarl) regens postea Haraldo mortuo totius regni potitus per viginti annos sub eodem nomine regnavit, quum regis titulum nunquam acciperet; unde fit, ut recte triginta tres hiemes praefectus fuisse dicatur, scilicet post mortem Sigurdi patris. Hanc vero genuinam Arii computationem Oddus monachus confudit cum Saemundi, qui totidem annos, sed post mortem Haraldi Canaepellis regnasse Haconem, perhibet.

Atque de his jam satis diximus; nunc vero reliquum est, ut temporum ordinem, ab Ario compositum, referamus ad aeram Christi. Quod potest eo effici, ut de millesimo p. Ch. n., quo Olavum Tryggvii filium obiisse Saemundo assentit noster, ratiocinandi principium sumas. Sed etiam aliud tempus constituit Arius polyhistor ex aera christiana, a quo ordiamur, ut si anni Christi hoc adhibito subducti accuratissime cum iis conveniunt, quos alterum tempus a nostro dictum postulat,

(1) Conf. supra p. 33, not. 2.

hanc, qualem enodavimus, sine ullo dubio Arii esse computationem, in omnibus rebus sibi ipsi concordem, eo magis appareat.

Noster igitur ait, Islandiam coeptam esse habitatum quaeri, quo tempore Edmundus Sanctus, Angliae rex, esset occisus ab Ivaro, Ragnaris Lodbroci filio, quod anno 870 p. Ch. n. accidisset (1). Hoc dictum adhuc omnes ea ratione interpretati sunt, ut ex Arii sententia in eundem annum et caedes Edmundi et prima Islandiae habitatio inciderent, sed minus recte ab iis, qui tale statuunt, auctorem perspectum esse paucis praemissis evidenter patebit. Nam quum Ario teste Haraldus Pulchricomus tum, quum Ingolfus quidam primum in Islandiam trajecit, sedecim annos natus esset (2) et per octoginta annos omnino vitam degeret (3), a. 934 diem supremum obire oportuit, cui vero repugnat, quod noster alio loco tradit, Hramnium Haengi filium, ubi sexaginta hiemes post Ed-

---

(1) Arii Frodis Schedae. c. 1. Island bygdist fyrst ur Norvegi, a dogom Haralls ens Harfagra, Halfdanar sonor ens Svarta, i þann tid, . . es Jvar Ragnarsson Lodbrokar let drepa Eadmund enn Helga Eingla Konung; enn þat vas DCCCLXX eptir burd Christz, at þvi es ritid es i sögo hans.

(2) Ibid. c. 2: Ingolfr het madr Norraenn, es sannlega er sagt at faere fyrst þadan til Islandz, þa es Haralldr enn Harfagri var XVI vetra gamall. En i annat sinn, fom vetrum sidar. i. e. Ingolfus vocabatur vir natione Norvegus, de quo vere dictum est, primum eum inde in Islandiam trajecisse, tum temporis Haraldo Pulchricomo sedecim annos nato, sed iterum paucis post hiemibus.

(3) Ibid. Conf. supra p. 33 not. 1.

mundi caedem effluxissent, praeturam Islandiae accepisse, Haraldo Pulchricomo tum unum aut duos annos etiamnum vivente (1), ex quo Haraldum a. 931 aut 932 mortuum esse concludas. Hujus repugnantiae causa Torfaeus Ario derogat fidem (2), inepte vero, quoniam Arius haud omnino secum pugnat, si accuratius ejus dicta perpendis. Quod enim priori loco Islandice dicit: „i þann tid,“ i. e. eo tempore, non idem valet, quasi „eo anno“ aut „hac hieme“ dicatur, illud potius longe minus arcte circumscriptum pro re vel complures annos complecti potest, sub quos circiter aliquid sit factum. Huc accedit, quod Ingolfus, qui primam coloniam in Islandia collocavit, non semel sed bis paucis (sex) annis intercedentibus in illam insulam trajecerit, quare Islandiae habitationis initium non ad unum iter, minime vero ad primum, ut omnes adhuc fecerunt, sed ad utrumque ab Ingolfo susceptum referre debes, quo tempore, i. e. dum Ingolfus intra sex annos novam patriam quaesivit, rediit et iterum profectus est, obiit Edmundus Sanctus a. 870. Hoc solum dicit Arius; quoto autem illorum sex annorum obierit Edmundus, non dicit, hic saltem, alio tamen loco.

Quod enim attinet ad istum calculum, quo Hramnius praetor delectus esse perhibetur sexaginta annis post caedem Edmundi, „vetri eda tveim adr Haralldr enn Harfagri yrdi daudr,“ omnem dubitationem posset auferre, nisi ambiguitatem quandam adhiberet, quum verba citata aut tale

(1) Ibid. c. 3: þvi naer tok Hramn lögsögu, Haengs sonr Landnama-manns, . . þat var LX vetrom eptir Drap Eadmundar Konungs, vetri eda tveim adr Haralldr enn Harfagri yrdi daudr at tölo spakra manna.

(2) Jon Loptsons Encomiast, p. 72.

quoddam significare queant: una hieme vel duabus prius (sc. factum est), quam Haraldus Pulchricomus e vita excessit, aut sic intelligenda sint: una vel duabus ante hiemibus obiit Haraldus. Si illam interpretationem praefers, quod Th. Torfaeus et Arnas Magnaeus fecerunt, Haraldum a. 931 aut 932 naturae concessisse invenies, si contra hanc mavis, ut Bussaeus Arii polyhistoris editor interpretatus est, oportet a. 928 aut 929 mortem Haraldus occubuerit. Ludv. Giesebrecht utramque interpretationem sequitur, quam ob causam in Arii chronologia enodanda sibi non constat (1). Per se ipsum igitur non apparet, quo calculo hic usus sit auctor noster, sed alio loco clarius exposuit. Nam Origines Islandicas, Landnamabók inscriptas, haud minima ex parte Arii opera esse compositas, jam omnes scimus, ab Ern. Ch. Werlauff, magis quoque P. E. Muelleri accuratissima disquisitione edocti. Quae quidem diversis temporibus, a Styrmero et Sturla Thordi filio ac postremo ab Hauco Erlandi continuatae, certo primae Islandiae occupationis historiam Ario debent, quod et ipse novissimus editor idemque aliqua ex parte scriptor, Haucus Erlandinus confirmat (2). In hac igitur nostro addicta narratione Haraldus Pulchricomus refertur ea aestate, qua Ingolfus cum sociis Islandiam inhabitare coeperit, duodecim annos Norvegiae rex

---

(1) Conf. Wendische Geschichten, III p. 298 not. 1. et p. 360 not. 2.

(2) Landnámabók P. V, c. 115 p. 378: Nú er farit yfir um Landnám þau er verit hafa á Islandi, eptir þvi sem fródir menn skrifat hafa, fyrst Ari prestur hinn Fródi þorgilssun. i. e. Jam occupatio terrae in Islandia secundum virorum eruditorum scripta recensita est, quorum primus erat Arius Thorgilsi.

fuisse. Tum elapsi sint ab hujus mundi principio anni 6073, ab incarnatione vero Domini octingenti septuaginta quatuor (1). Idem his ipsis verbis habet Gunnlaugus monachus, etiam alias nostrum auctorem arctissime secutus, modo, quod porro addit, Ingolfum septem abhinc hiemibus, i. e. anno Haraldini imperii sexto, primum Islandiam quaesiisse (2), menda quadam Islandis usitatissima laborare videatur, sextum annum computans, ubi jam solidi sex anni effluxerant, quot rectius esse subducendos constat ex Arii ipsis verbis supra citatis, quibus Haraldum Pulchricomum decennem regno potitum sedecim ait natum fuisse annos, quum Ingolfus primò in Islandiam nave transveheretur.

Sed nunc omnia sunt plana. Etenim illo libri Originum Islandicarum relatu accuratissime enodatur, quod a nostro anceps dictum supra attulimus, e cujus variis interpretationibus, ut nunc patet, haec est vera et recta, qua Haraldum a. 932 p. Ch. n. obiisse dicendum est. Abhinc reliquam nostri chronologiam facile ad annos Christi referas, tali modo:

a. 852 p. Ch. n. Haraldus Pulchricomus nascitur.
— 862 — — regno potitur.
— 868 — Ingolfus primo in Islandiam se trajicit.
— 870 — Edmundus Sanctus occiditur.

(1) Sumar þat er þeir Ingólfr fóru at byggia Island, hafþi Haralldr Hárfagri verit tólf ár Konúngr at Noregi. þá var lidit frá upphafi þessa heims VI þúsundir vetra oc LXXIII vetr, en frá holdgan Drottins DCCC ár oc LXXIV vetr.

(2) Scripta historica Islandorum I p. 265.

a.	872	p. Ch. n.	Pugna Hafursfiordensis, qua Haraldus totam Norvegiam sibi subjecit.
—	874	—	Ingolfus iterum in Islandiam profectus hic sedes suas collocat.
—	929	—	Ericus Blodöx (Sanguisecuris) imperii fit socius.
—	932	—	Haraldus Pulchricomus mortem occumbit.
—	933	—	Hacon Adalsteini alumnus ex Anglia rediens a Thrandis rex creatur.
—	934	—	Ericus Sanguisecuris regno exutus e patria depellitur.
—	960	—	Hacon Adalsteini alumnus imperium vitamque cedit Haraldo Canaepellis.
—	962	—	Sigurdo Hladensi interfecto filius Hacon suscipit Hladensem praefecturam.
—	975	—	Haraldus Canaepellis per insidias occiditur, ex quo tempore Hacon Hladejarl toti regno praeest.
—	995	—	Hacone cultro confecto Olavus Tryggvii fit rex.
—	1000	—	Olavus Tryggvonius in pugna Svöldrensi necatur; Ericus et Sveno Haconis filii imperium accipiunt.
—	1012	—	Ericus e Norvegia abiens Haconi filio regnum tradit.
—	1014	—	Olavus Sanctus cum Svenone decertat.

a. 1015 p. Ch. n. — Svenone mortuo cum pace tenet rempublicam.

— 1030 — — proelio cadit.

§. 8.

Jam quaeramus, utra computationum sit anteponenda. Sane quidem hoc jam disceptaverunt Islandi, quum exceptis prope nullis Arium sequerentur, sed ut etiam alia ratione ejus praestantiam intelligas, nihil est negotii. Nam ex Arii chronologia omnes relatus, quibus Saemundus sicut alii scriptores ab eo dissentiant, per errorem manasse facile potest demonstrari.

Etenim ut ultimum primo recensere incipiam, Saemundus quamquam perinde atque Arius de anno millesimo p. Ch. n. subducens Erico praefecto duodecim, Haconi filio duos annos adscripsit, itemque Olavo Sancto quindecim hiemes, oportuit tamen hujus regis mortem in annum 1029 p. Ch. n. cadere contendat, quia unum annum, quem praeterea habet noster, neglexit intercedentem, ubi Olavus de imperio decertavit cum Svenone, Erici et Haconis socio regni. — Alium autem errorem commisit Saemundus, triginta tres hiemes, quot Hacon jarl recte dicitur post mortem Sigurdi patris regnasse, inde ab Haraldo Canaepellis supputans, ut jam supra commemoravimus. — Huic adjungenda est opinio, qua Haraldum Canaepellis novem tantum annos Norvegiae praefuisse credit, quae unde exstiterit, praeclare edocet Arius noster, Haraldum dicens per sex postremos, quibus vixerit, annos cum Hacone paene assiduis proeliis conflixisse, utroque alternis terra cedente (1). Proinde regnavit Haraldus novem annos pace in-

(1) Heimskringla. Saga af Olafi Tryggvasyni c. 13. Svâ segir Ari prestr, at Hákon Sigurðarson vaeri

violata, quos solos computat Saemundus, alios sex ab Ario usque ad mortem illius annumeratos omittens, fortasse memoriae incuria adductus. Contra Haraldo Pulchricomo tribus annis longius imperium tribuit, cujus haud dubie haec est causa. Haraldus enim Pulchricomus septuaginta hiemes, ut tradebatur, regnavit, tres annos Ericum filium regni socium sibi assumens. Quum autem tempore procedente memoria fallerentur, id modo verum arbitrati imperium, quod aliquis solus nulloque impeditus teneret (1), a majoribus acceptum ita intelligebant, ut Haraldus illos septuaginta annos regnasse feratur solus et praeterea tres cum Erico conjunctim. Sic habet Saemundus, sic habent etiam Snorro Sturlae et Gunnlaugus monachus, qui alias chronologiam ab Ario asciverunt, sed habent non sua culpa. Nam ut mox prolixius dicemus, Islandi recitationem factitantes (sagnamenn) ad perversas computationes postea historiam condebant, his additis locupleteque explicatis, quae

---

13 vetr jarl yfir föþurleifð sinni i þrándheimi, ádr Haralldr gráfelldr fell, en 6 ena siðarstu er Haralldr gráfelldr lifði, segir Ari, at Hákon jarl ok Gunnhildar synir börðust um Noreg, ok stukku ymsir or landi.

(1) Hoc confirmat diligentia, qua Islandi accuratissime notant annos, quibus quisque cum bona pace regnaverit quotque habuerit ab inimicis inquietos. Cui rei jam in contextu adjunximus compluria exempla et nunc ex Theodorico monacho producemus: (l. c. p. 20):

„Regnavit autem beatus Olavus annis quindecim, quorum tredecim solus obtinuit regnum. Nam primo anno cum Svenone, filio Haconis mali, pugnam habuit, et eum a patria expulit, ut superius meminimus: ultimo vero a Sveinone filio Kanuti — inquietum fuit regnum.“

esse gesta e sua mente conjectura sequebantur. Unde evenerat, ut hic quoque narrationem de Haraldo Pulchricomo pepigissent, ubi ille refertur septuaginta annos natus e muliere quadam suscepisse Haconem Adalsteini alumnum (1), cujus rei perfacile inierunt rationem, quia Hacon Erico fratre expulso quindecim annos (2), itaque tum, quum Haraldus obiit, tredecim annos natus fuit. Hoc verum relatu producto scriptor videtur uterque inductus esse, ut cum Ario discrepans Haraldi imperio septuaginta tres annos assignet. Quod num in Arii chronologiam, ceterum plane ascitam, quadret, Gunnlaugum quidem sive ejus interpretem latinum, offendiculo non perturbavit, contra Snorro melior factus ratiocinator computatione nonnihil mutata Haraldini initium imperii ad annum 860 p. Ch. n. refert (3), hoc insuper, ut videtur, statuens, Haconem praefectum non viginti sed undeviginti tantum annos Norvegiae praefuisse, quod aeque ab annalibus Skalholtinis assumtum, fortasse ex historia Fareyensium auguratus est. Ibi

---

(1) Scripta historica Islandorum I p. 14.

(2) Ibid. p. 20.

(3) Heimskr. Harallds Saga ens harfagra: Hann var fyrstr einvalldz-koningr yfir Noregi, þá lidit var frá holldgan Guþs sonar DCCC oc LX ára, á fyrsta ári Sólar-alldar, en á sétta ári Túngl-alldar, en af upphafi gömlu alldar CCL oc III ár. Þetta var upphaf rikis Harallds Hárfagra, þá var hann X vetra. i. e. Haraldus primus in Norvegia monarcha fuit, quum ab incarnatione filii Dei anni effluxissent octingenti sexaginta, Cycli Solaris anno primo, lunaris vero sexto, ab initio autem Cycli magni Paschalis 253. Haec fuere initia regni Haraldi Pulchricomi, quum decem annorum esset.

enim, quamvis et ipsa viris satis fidis testibus Ario aliqua ex parte debeatur, Sigmundus quidam Bresteris filius novem annos fuisse natus dicitur, quum pater eadem aestate, qua Haraldus Canaepellis cecidit, interfectus est, et vicesimum septimum annum excessisse, quum proelio Jomsvicensium interfuit (1). Quoniam vero illam pugnam evenisse tradunt proxima ante hieme, quam Olavus Tryggvii regnum adierit (2), hoc cum historiae Fareyensium supputatione ad calculos vocato nonnulli et veteres et recentiores scriptores (3) Bresterem volunt anno 976 occisum esse. Sed perperam haud dubie illic novem anni jam solidi numerantur, quamquam Sigmundus nonum nondum plane compleverat, cujusmodi errorem saepius committunt Islandi. Quo emendato etiam historia Fareyensium cum Ario concordans et Bresteris et Haraldi Canaepellis mortem in anno 975 p. Ch. n. ponit. Atque haec de mendis, quae in singulorum chronologiam irrepserunt.

Quid igitur proferamus plura, quantum noster praestet? An clariora desideras documenta? Agedum, solam ad Arii chronologiam relationes quasdam et Islandorum et aliorum scriptorum satis quadrare utique assevero.

Sicut Islandi de regibus Norvegiae notitiam habuerunt certissimam, sic etiam longe magis, quando patria ipsa inventa et habitata esset, nequibant ignorare, nec facile potuit fieri, ut hic memoria fallerentur. Itaque omnem fidem praestes Ario narranti, Ingolfum anno Haraldini imperii septimo

---

(1) Gunnlaugs Saga Ólafs Konúngs Tryggvasonar c. 180—186.

(2) Saga Ólafs Konúngs hins helga. c. 15.

(3) Conf. Jon Loptsons Encomiast, p. 39, 47, 56.

Islandiam primum petiisse et sex post hiemibus iterum. Aeque memoratu digna erat caedes Edmundi Sancti, cujus fama longe lateque divulgata crebro commercio Angliam et Norvegiam inter se conjungente festinanter etiam huc penetravit, quare certe potuerunt scire, factum esse illud, quo circiter tempore Ingolfus semel iterumque in Islandiam transierit. Hoc autem sola cum Arii computatione convenit. Saemundus enim annum Haraldini imperii septimum vere anni 858 p. Ch. n. et tertium decimum vere a. 864 facit incipientem, quo multum abest, ut caedes Edmundi a. 870 facta, testibus Anglicis scriptoribus, in illud tempus incidat.

Porro Thordi Hredis Vitam adducemus, qua narrante (1) Thordus, quia neci regis Sigurdi Slefae interfuerat, a. 975 e Norvegia in exilium ejectus est. Quis autem hujus causa debuisset ei insistere, nisi Sigurdi frater Haraldus Canaepellis? quod tamen solummodo potuit fieri, si Haraldus a. 975 etiamnum regnavit, id, quod maxime ad Arii chronologiam quadrat.

Aliud exemplum proponit Olavi Tryggvonii Vita. Nam hic patre per Erici filios occiso paucis post mensibus lucem aspiciens viginti septem annorum egerat aetatem, quum imperium accepit. Ita certe omnes, quot novimus, de vita ipsius scribunt. Si autem Oddo monacho credi possit, Arius noster Olavum voluit viginti duos annos natum fuisse, quo tempore regnum adiisset, dum et alii eodem teste vel triginta duos annos ei tribuerunt (2). Utcumque vero sese res habet, tres

---

(1) P. E. Mueller Sagabibliothek. I p. 270.

(2) Saga Ólafs Konúngs Tryggvasonar af Oddi múnk. c. 22. Þat finnz i frásögn Ara hins fróða, oc eru þeir fleire er þat sanna, at Ólafr Trygggvason hafi

illi calculi pari modo efficiunt, ut ex Saemundi chronologia, quae Haraldum obiisse dicit triginta tribus ante annis quam Olavus imperio potiretur, Tryggvius Olavi pater Haraldo, qui eum interfecit, superesse debuisset; contra Ario nequaquam repugnant.

Sed Ottonis II imperatoris incursus in Daniam, quem Germanici scriptores in anno 975 p. Ch. n. ponunt (1), magis Saemundo astipulari videtur, quoniam ex ejus chronologia tertius decimus annus Haeonis imperii, quo Islandi aggressionem factam esse dicunt, revera in hunc annum aerae Christi incidit. Verumtamen neque Arius noster adversatur, modo ne ab Haraldi Canaepellis caede, potius a morte Sigurdi patris imperium Haeonis subducas, quod, ut supra enodatum est, minime abhorret a re, quin imo historiam quandam multis erroribus nonnihil perturbatam clarius exponit. Quam, quum maxime patefaciat, quanta sit Arii in scriptis Islandorum examinandis gravitas et auctoritas, paullum prolixius tractabimus.

II vetr haft oc XII, þá er hann com i land oc tók riki, en hann rèð firir V vetr. En þó eru þeir sumir menn fróðir, er svâ vilia segia, oc þvi trúa, at svâ sè at hann hafi haft II vetr oc XXX vetra, er hann tók rikit . . . En vera kann þat at Einar þambarskelfir eþa Ástrið, systir Ólafs, er átti Aerlingr á Sóla, . . . vâru i þeirre aetlan, at hann vaeri dauðr. En siþan er siá hinn sami maðr (Olaf) er frendrnir fundu oc vinir svâ sem endrreistan af dauða; þa fögnuðu þeir þessum manne, svâ sem hann vaeri af dauða reistr, oc tölðu þvi til alldrs honom VII ár oc XX.

(1) Conf. Giesebrecht, Wendische Geschichten. I p. 213.

§. 9.

Omnes Islandorum scriptores enarrant, Haconem praefectum Hladensem, postquam cum Haraldo Canaepellis male pugnasset, e Norvegia ejectum Daniam adiisse, ut Haraldum Caerulidentem, auxilium petiturus, conveniret. Hic tunc temporis Gullharaldo, Daniae regis nepote, e finibus exterorum reverso atque imperii partem affectante, hospiti persuasisse Haconem, ut Norvegiae regem et nepotem dolo alterum per alterum interimeret. Itaque Haraldum Canaepellis, quem Daniae rex antea tanquam filium habuisset, educatore et altore invitante ad Daniam profectum in sinu Limico (Limafjord) improviso esse oppressum a Gullharaldo malis Haconis instigato consiliis, quem hic rursum quasi pacem violatam ulturus necaret. Tum Haraldum Caerulidentem classe parata Norvegiam sibi subjecisse atque toti aut maximae ejus parti Haconem praefecisse, homagio accepto tributoque in singulos annos imperato. Quod quidem, etiamsi non plane constanter, Hacon per duodecim annos solvisset, usque dum tertio decimo anno jussu regis Haraldi quasi vasallus exercitum trajiceret, ut Ottonem imperatorem arma Danis intentantem arceret. Ubi fines regni ad meridiem spectantes munimento valido, quod Danavirk vocaretur, apud Heydabyum (Slesvicum) firmati essent, strenue fortiterque pugnantem signa contulisse cum Ottone, sed postremo numero hostis superanti nec non astutis consiliis Olavi Tryggvii, qui cum socero Burizlavo, rege Vindlandiae, ab imperatoris parte stetisset, et ipsum et Haraldum coactos esse cedere seque in ditionem Ottonis permittere. Tum esse Haraldum imperatore baptismatis teste sacris christianis initiatum itemque Haconem, etiamsi invitum, qui mox

in Norvegiam regressus et novam fidem deseruisset et vetus tributum posthac solvere neglexisset.

Hanc narrationem solo Olavo Tryggvii praetermisso etiam recentiores, ut nuper clarissimi viri Dahlmann atque L. Giesebrecht, veram arbitrantur, sed mirum est, quod ejus difficultates non viderunt. Quid? An tam palam tamque segniter ac tarde comparavit imperator bellum contra Danos, ut Haraldus rex Haconem e Norvegia ad auxilium posset arcessere, qui certe haud exiguo tempore in copiis conficiendis consumto satis tamen mature in Daniam navibus transveheretur, ut Ottoni obviam iret, tunc demum ad ultimum finem perventuro? Atqui dices, Haconem ullo sine dubio pugnae apud Danavircum interfuisse, quum hoc carmina quaedam fidissima (1) maxime confirment. Recte tu quidem, concedimus illud, sed eum suppetias e Norvegia arcessitum esse plane et omnino negamus; potius casu et fortuito ipse petiturus auxilium jam adfuit in Dania, quum Otto imperator incursionem fecit, nec copias habuit alias nisi quas exiguas exsul e patria sibi instruxerat. Nam tale quoddam ex Arii chronologia judicari licet, quia et Haraldi Canaepellis mors et Ottonis incursus in eundem Annum 975 p. Ch. n. cadunt.

Sex postremis, quibus vixit Haraldus, annis cum Hacone praefecto Hladensi de imperio dimicavit, denique inimicum e patria depellens, qui Daniae regem ad auxilium petendum adiit. Huic vero, qui ipse cum Germanis bellum inierat, peropportune venit, ut ei in aggressu imperatoris arcendo opitularetur. Germanos tamen vicisse Haraldoque pacis dixisse leges

(1) Vellekla, carmen Einaris Skalaglamm (Lancium crepitus) poëtae Haconis praefecti.

constat, sed ille ope, quam exsul pro viribus praestiterat, monitus, ut Hacon, si totius Norvegiae copias adduceret, longe majori esset auxilio, fortassis etiam damnum, quod a Germanis acceperat, alius regni accessione recuperaturus Norvegiam sibi subjicere et Haconi vasallo subdere eo modo, quem supra attulimus, suscepit.

Profecto quidem Hacon initio regni tributum pensitavit, donec occasione oblata Danorum regis ditionem detrectavit. Quod quo modo sit factum, auctor vitae Olavi sancti fortasse verissime edocet (1): Has septem, inquit, provincias administrandas Haconi dedit Haraldus eadem conditione, atque filiis dederat Haraldus Pulchricomus, eo tamen discrimine, quod Hacon omnia regia praedia ac reditus Nidrosiae obtineret, et praeterea, si terram ab hoste defenderet, regia pecunia uteretur. — Quum vero crebro accideret, ut Gunnhildae filii excursiones in Norvegiam facerent et cum Hacone praefecto proclia committerent, factum est, ut praefectus omnia vectigalia, quae regis Danorum erant, in sumtus suos impenderet; vicissim autem regi Danorum accipitres, aut equos, aut partem tributorum misit, interdum vero nihil, donec eum rex severius admoneret. Hic tandem adeo iratus est, ut trajecto in Norvegiam exercitu terram hostiliter depopularetur; quo facto nullum ei officium praefectus praestitit."

Si reliqui Islandi Haconem per duodecim annos solidos tributum pependisse dicunt, errore lapsi sunt, quia tredecim annos inter Haraldi Canaepellis mortem et Ottonis imperatoris incursionem intercedere putabant. Sed hunc errorem eo, ut

---

(1) Saga Ólafs Konúngs hins helga. c. 12. Script. histor. Island. IV p. 23.

tertium decimum annum Haconis imperii non de patris, ut oportuit, sed de Haraldi Canaepellis morte supputarent, in eorum chronologiam irrepsisse, dilucide apparet, quare et omnes Ottonis bellum in anno 988 ponunt, quod vel ii fecerunt, qui Saemundi discrepantem computationem sequuntur.

VITA.

Natus sum ego, Carolus Robertus Klempin, die XIX m. Novembris MDCCCXVI in oppido Swinemünde, ibidemque confessioni evangelicae adscriptus primis literarum elementis imbutus sum, quoadusque me Sedinum ad Viadrum contuli, ubi tum temporis directore celeberrimo Hasselbach gymnasium bonarum artium insigniter florebat. Per spatium annorum sex hic edoctus cum testimonio maturitatis ann. MDCCCXXXVIII Berolinum discessi, ut almam universitatem frequentarem, ab Illustrissimo Boeckh, tum temporis Rectore magnifico, inter cives academicos receptus itemque ab Illustrissimo von der Hagen, philosophorum ordinis decano, philosophiae studiosis legitime adscriptus. Hinc triennio absoluto Gryphiam abii, ubi aeque in facultatis philosophicae album inscriptus literis incubui.

Quibus vero sim institus praelectionibus, nec parvas nec contemnendas afferre possum has: Logicen, historiam philosophiae universalem, et Hegelii systema philosophicum, quas Illustrissimus Trendelenburg tradidit; historiam systematum philosophicorum, quot in Germania a Kantio ad Hegelium usque exstiterint, ab Ill. Michelet accepi, psychologiam ab Ill. Steffens. Iis philosophicis alias addidi philologicas, et quidem Graecorum antiquitatis, quas Ill. Boeckh professus est: Antigones Sophocleae interpretationem, historiam literarum Graecarum, encyclopaediam et methodologiam doctrinae philologicae, Pindari carminum exegesin, antiquitates Graecas, artem metricam et Demosthenis orationem pro corona explicitam; porro de Attica comoedia lectionem debui Ill. Droysen, itemque de antiqua historia, quam ille doctissimus vir paullo post Berolino discedens tum ultima vice instituit; antiquitates Romanas ab Ill. Zumpt audivi, historiam poëseos Germanorum antiquioris et grammaticam Germanicam ab Ill. Lachmann. Geographiam et universalem et Europae et Graeciae apud Ill. Ritter didici, sed Illustrissimi Ranke

praelectionibus interfui de historia Germanorum, medii aevi, recentioris aetatis, et novissimi denique temporis inde ab medio XVIII seculo; ab Ill. von Raumer juris publici et politices elementa cognovi.

Ilis Berolini auditis Gryphiae adjunxi per unum semestrum historiam Europaeicam universalem Illustrissimi Barthold et paedagogiam Ill. Hasert.

Quibus omnibus viris quantum debeam, nunquam piae grataeque excidet memoriae, sed maxime Ill. Ranke mihi celebrandus erit, cujus institutione et impulsu exercitationibus historicis accepto et id scriptum de vitis Sancti Ottonis episcopi Bambergensis composui, quod jam in libro periodico, Baltische Studien inscripto (Bd. IX, Hft. 1.) publici juris factum est, et nunc dissertationem perfeci hanc amplissimo Philosophorum ordini ad recensendum traditam, sicut aliam de Jomsvicensium historia quaestionem, quam, simulatque dissertatio ex prelo prodierit, mora sublata editurus sum.

THESES.

1. Augustini secretum et publicum lumen ex Platonis idea profectum esse.
2. Praefecturas Romanas jure civili a municipiis non differre.
3. Physicos ad hypothesin, qua septentrionis temperiem tempore rigidiorem fieri credunt, historiae observationibus inductos esse.
4. Metrum, quod Islandi togmaelt dicunt, ad antiquioris numeri (fornyrðalag) leges spectare.
5. Verbis circumlocutionibusque recentioris aevi confirmantibus carmen Islandicum Ynglingatal XII demum seculo compositum esse.
6. Carmen Völuspá, quale adhuc restat, e duobus carminibus prave conflatum esse.